BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

am et expandit manus suas in do
mo hac: tu exaudi de celo de sublimi
sedi habitaculo tuo et propiciare et red
de unicuique secundum vias suas quas
nosti eum habere in corde suo. Tu enim
solus nosti corda filiorum hominum:
ut timeant te et ambulent in viis
tuis cunctis diebus quibus vivunt super
faciem terre quam dedisti patribus nos
tris. Externum quoque qui non est de popu
lo israel si venerit de terra longinqua
propter manum robustam et brachi
um tuum extentum et adoraverit in
loco isto: tu exaudies de celo firmis
simo habitaculo tuo et facies cunc
ta pro quibus invocaverit te ille peregri
nus: ut sciant omnes populi terre nomen
tuum et timeant te sicut populus tuus
israel et cognoscant quia nomen tuum
invocatum est super domum hanc
quam edificavi nomini tuo. Si egressus
fuerit populus tuus ad bellum contra ad
versarios suos per viam in qua mise
ris eos: et adoraverint te contra viam in
qua civitas est quam elegisti et domus
quam edificavi nomini tuo: ut exau
dias de celo preces eorum et obsecrationem
et ulciscaris. Si autem peccaverint tibi
neque enim est homo qui non peccet
et iratus fueris eis et tradideris eos hos
tibus et captivos eos duxerint in terram
longinquam vel certe que iuxta est et con
versi corde suo in terra ad quam captivi
fuerint ducti egerint penitentiam et depreca
ti te fuerint in terra captivitatis sue di
centes. Peccavimus inique fecimus
iniuste egimus et reversi fuerint ad te
in toto corde suo et tota anima sua
in terra captivitatis sue ad quam ducti
sunt adorantes te contra viam terre
sue quam dedisti patribus eorum et urbis quam
elegisti et domus quam edificavi nomini
tuo: ut exaudias de celo hoc est de
firmo habitaculo tuo preces et facias
iudicium et dimittas populo tuo quamvis
peccatori. Tu es enim deus meus aperia
ntur queso oculi tui et aures tue intente sint
ad orationem que fit in loco isto. Nunc
igitur consurge domine deus in requiem tu
am tu et archa fortitudinis tue. Sacerdo
tes tui domine deus induantur salu
te: et sancti tui letentur in bonis. Domine deus
ne averteris faciem christi tui: memento
misericordiarum david servi tui. Cumque
complesset salomon fundens preces: ignis
de celo descendit et devoravit holocaus
ta et victimas et maiestas domini
implevit domum. Nec poterant sa
cerdotes ingredi templum domini: sed et
omnes filii israel videbant ignem de
scendentem et gloriam domini super domum:
et corruentes proni in terram super pa
vimentum stratum lapide adorave
runt et laudaverunt dominum quoniam bonus
quoniam in eternum misericordia eius. Rex autem
et omnis populus immolabant victimas
coram domino.

VII

Mactavit ergo rex salomon hos
tias boum XX·II· milia arie
tum centum XX milia et
dedicavit domum dei rex et universus
populus. Sacerdotes autem stabant in of
ficiis suis et levite in organis car
minum domini que fecit david rex ad
laudandum dominum quoniam in seculum misericordia
eius: hymnos david canentes per ma
nus suas. Porro sacerdotes cane
bant tubis ante eos: cunctusque
israel stabat. Sanctificavit quoque salomon
medium atrii ante templum domini.
obtulerat enim ibi holocausta et
adipes pacificorum: quia altare ene
um quod fecerat non poterat sustinere
holocausta et sacrificia et adipes.
Fecit ergo salomon sollempnitatem
in templo septem diebus: et omnis israel
cum eo ecclesia magna valde ab intro
itu emath usque ad torrentem egyp
ti. Fecitque die VIII collectam eo
quod dedicasset altare VII diebus: et sol
lempnitatem celebrasset VII diebus.
Igitur in die XXIII mensis septimi.